

TITULUS V.

De Conditionibus appofitis in Desponfatione, vel in aliis Contractibus.

1. Ratio Ordinis.

Actum est hucusque de Sponfalibus, & Matrimonio pure, seu absolute contractis. Verum quia ea, sicut & alii Contractus nonnunquam etiam sub conditione fiunt, ideo praefens Titulus subiungitur. Et quoniam Conditioni valde affinis est modus, causa, ac demonstratio, etiam de his ad finem agetur.

§. I.

De Natura, & Divisione Conditionis: ubi etiam de Sponfalibus & Matrimonio sub Conditione possibili: honesta: & in specie: Si Papa dispensaverit: vel Si virginem re invenero.

SUMMARIUM.

- 2 Varia acceptio Conditionis.
- 3 Conditio proprie quid?
- 4 Alia tacita, alia expressa.
- 5 Alia de praesenti, alia de praeterito, alia de futuro, quae ultima sola est Conditio propria.
- 6 Alia necessaria: alia contingens: alia potestativa: alia casualis: alia mixta.
- 7 Alia possibilis: alia impossibilis.
- 8 Alia honesta: alia turpis.
- 9 Tacita alia suspensiva: alia resolutive.
- 10 Conditio necessaria habetur pro non adjecta.
- 11 Nisi adiciatur pro temporis determinatione.
- 12 Actus per conditionem de praeterito aut praesenti non vitatur, sed hac existente valet, non existente nullus est.
- 13 Etiam Matrimonium.
- 14 Nec validatur per copulam subsequentem.
- 15 Possibilis & honesta conditio de futuro suspendit quemvis contractum.
- 16 Qui tamen implet conditionem statim valet sine novo consensu.
- 17 Etiam Matrimonium.
- 18 Probatur ratione.
- 19 Et declaratione Cardinalium.
- 20 Matrimonium sub conditione de praesenti initum non potest consummari, donec rescitur extare conditionem.
- 21 Licetum est sub honesta conditione de praesenti, futuro, vel praeterito contrahere Sponfalia.
- 22 Et Matrimonium, quamvis hoc non expediat.
- 23 Matrimonium & Sponfalia inter inhabiles sub conditione: Si Papa dispensaverit, contracta secundum aliquos etiam post completam conditionem sunt nulla.
- 24 Quae de iure fieri non possunt, impossibilia reputantur, etsi Papa dispensare valeat.
- 25 Tam Sponfalia, quam Matrimonium sub conditione: Si Papa dispensaverit, licita sunt.

- 26 Et valida: probatur. Et non seq.
- 28 Clarior probatio Conditio: si Papa dispensaverit, non est impossibilis, sed etiam de iure possibilis, usque ad num. 32.
- 32 In casu, quo Papa licite dispensare non potest, censetur impossibilis, ac inhonesta conditio, Si Papa dispensaverit.
- 33 Resp. Ad decisiones. Rotae.
- 34 Neuter eorum, qui sub conditione, Si Papa dispensaverit, contrahunt, tenetur procurare dispensationem.
- 35 Tenetur tamen unus expectare, si alter procurare velit.
- 36 Dispensationem procurans tenetur ad expensas solus.
- 37 Nisi aliter conventum fuerit.
- 38 Conditio, si te virginem invenero, est quandoque honesta.
- 39 Quandoque inhonesta.

Notandum prius, terminum Conditio habere varias significationes. Aliquando enim sumitur pro stata personae, §. fin. Instit. de iure person. ibi: Si servorum conditione nulla est differentia. Subinde sumitur pro optione, seu electione, l. Papius. 8. §. Si quis 12. de Inoff. Testament. Interdum sub modo, c. Verum. 4. h. t. Ordinariè verò, & prout in praesenti agitur, sumitur pro aliqua circumstantia sicut dispositioni adjecta, a cuius existentia dependere volumus actum, seu dispositionem. Hinc

Queritur I. Quid ad praesens, & quod duplex sit Conditio? Resp. I. Conditio ad praesens est adiectio dispositioni, id est, actui, vel contractui appositae, vel intellectae suspendens, aut resolvens ipsam dispositionem, quae sub ea fit. Abbas, & Baldus in Rubr. h. t. cum communi, arg. §. sub conditione Inst. de V. O. Quae conditio ordinariè exprimitur per particulam, Si, v. g. Si Pater consentiat, Si Titius Consul fiat &c. Caeterum Conditionis descriptio data patet ex sequenti Conclusionem.

Resp. II. Conditio variè dividitur. Et quidem primò in Expressam & Tacitam. Expressa est, quae verbis expressis apponitur. Tacita vero, quae actui ineft, et si non exprimitur hinc in definitione additum est, vel subintellecta. Tacitae aliae sunt generales, quae nempe cuius contractui tacite insunt, v. Si Deus voluerit, si potero &c. Aliae speciales, quae alicui contractui in specie insunt, ut in Sponfalibus, si nullum intervenit impedimentum: si res in eodem statu permanserit.

Secundò. Alia Conditio est de praesenti, alia de praeterito, alia de futuro. Conditio de praesenti est, quae circumstantiam pro praesenti tempore, quo fit contractus, denotat, v. g. Promitto tibi Matrimonium, si virgo es: vel si non corrupta. Conditio de praeterito est, quae circumstantiam iam praeteritam respicit, v. g. Contraham tecum, si navis ex India jam advenit. Et Conditio de futuro est, quae circumstantiam primum eventuram denotat, & donec eveniat, dispositionem, & obligationem suspendit, eaque non eveniente dissolvit, arg. cit. §. Sub conditione. 4. Instit. de V. O. Et haec de futuro est proprie Conditio: non item de praesenti, vel praeterito, l. Institutio 10. ff. de Condit. Instit. ibi: Cum nulla sit conditio, quae in praeteritum conferatur, vel quae in praesens, veluti, si Rex Gothorum vivit: Si navis in portu sit. Ratio est; quia de natura verae conditionis est suspendere valorem actus, & obligationis eius, atque facere, ut actus possit subsistere vel deficere, iuxta existentiam nempe vel defectum Conditionis: hoc autem non facit Conditio.

ditio de praesenti, aut praeterito, l. Cum ad praesens. ff. de R. b. Credit. & §. Conditiones. 6. Instit. de V. O. ibi: Conditiones, quae ad praesens, vel praeteritum tempus referuntur, veluti, Si Titius Consul sit: Si Mevius vivit, dare jlondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio, sin autem ita se habent, statim valet.

Teriò. Conditio de futuro rursus dividitur in necessariam, & contingentem. Necessaria est, quae necessario eveniet, v. g. Si cras sol orietur, hoc faciam. Contra contingens est, quae potest evenire, vel non. Et haec subdividitur in potestativam, casualem, & mixtam. Potestativa est, quae est in potestate illius, cui apponitur, ita, ut, si velit eam adimplere, omnino possit, arg. l. 2. ff. de Condit. & demost. Casualis est, quae non dependet à voluntate illius, cui apponitur, sed alicujus terti, vel Dei, v. g. Ducam te, si hic annus frugifer erit: vel, Si Princeps mihi illud Officium conferat. Mixta est, quae de utraque participat, ita ut partim à voluntate illius, cui apponitur, partim ab alio dependeat, arg. l. Si poter. C. de Insti. & subli.

Quarò. Rursus Conditio alia est possibilis, alia impossibilis. Illa est, quae evenire potest. Haec est, quae vel naturaliter fieri nequit, vel à Legge prohibita est, quia etiam illa, quae de iure nequeunt fieri, impossibilia vocantur, per dicta Lib. I. Tit. 40. n. 46.

Quintò. Insuper Conditio alia est honesta, alia inhonesta, seu turpis. Honestae est, quae nulla Legge prohibita invenitur. Inhonestae seu turpis, quae contra Legem Divinam, aut naturalem, vel humanam est.

Tandem alia est suspensiva, alia resolutive. Suspensiva est, quae suspendit actum, donec conditio eveniat, estque futura contingens, de qua supra n. 5. Resolutive est, quae non obstat, quin actus statim valeat, facit tamen, ut relolvatur & pereat, non quidem si conditio deficiat, sed si eveniat, arg. l. 3. ff. de contrah. Empt. quae tamen propria Conditio non est, hoc ipso quòd actum non suspendat.

Queritur II. Quid efficiant Conditiones necessariae? Item Conditiones impossibiles de praeterito, vel praesenti? Resp. I. Conditio necessaria quaecumque etiam de futuro concepta, Sponfalibus, Matrimonio, vel alii contractui adjecta non vitiat actum, nec suspendit, sed facit, quòd actus, seu contractus illicet valeat, ac si nulla conditio appositae fuisset. D. Bonaventura in 4. dist. 28. q. 3. numer. 1. Abbas in c. in fine. Sanchez lib. 5. Disp. 2. numer. 2. Navarrus in Manual. cap. 22. numer. 67. Fagnanus in c. Si conditiones h. t. numer. 16. cum communi aliorum tam Theologorum, quam Canonistarum, arg. l. Si pupillus 9. §. 1. ff. de Novationi ibi: Qui sub conditione stipulatur, quae omnino exitura est, puz videtur stipulari. Ratio est; quia, cum Conditio necessaria jam sit determinata in sua causa, & non possit non evenire, jam habetur pro existente, arg. l. Haeres meus, 79. ff. de Condit. & demost.

Limitatur Conclusio in casu, quo ex circumstantiis colligitur, Conditioem necessariam esse appositam, non tanquam conditionem, sed tanquam praesumptionem ac determinationem temporis, quo quis iuxta promissum nubere velit: v. g. Contraham tecum, si Pater meus morietur, quamvis enim haec conditio sit necessaria, cit. l. Haeres meus. ff. de Condit. & demost. tamen bene fieri potest, quòd non per modum conditionis, sed temporis apponatur, ut sensus sit, quamprimum pater meus mortuus fuerit, contraham tecum. Et hinc usque ad mortem patris suspenditur obligatio contrahendi, Sanchez loc. cit. cum aliis.

Resp. II. Conditio de praeterito, vel praesenti, v. 12. g. Si virgo, aut nobilis es: Si navis ex India jam advenit, contraham tecum, pariter non suspendit, nec vitiat Sponfalia, Matrimonium, vel alium contractum, sed facit, quòd actus illicet valeat, si conditio reverà tunc verificatur; vel si irritus ac nullus, si non verificatur. Sanchez lib. 5. Disp. 6. n. 1. eoque teste Onnes. Textu Claro §. Conditiones 6. Instit. de V. O. quem textum vide supra num. 5. Ratio est; quia contractus dependet à voluntate & conventionione contrahentium, c. Contractus 85. de Reg. Jur. in 6. ibi: Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur: consequenter si sub praefata conditione contrahant, contractus subsistente conditione valebit, non subsistente autem nullus erit; etiam si contrahentes ignorent conditionem jam existere, vel existisse, Layman lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 7. num. 1. Pirhing h. t. n. 3. arg. l. Cum ad praesens. ff. de Reb. credit. & l. Cum in secundo. ff. de Injusto rupto.

Infertur cum Fagnano in cit. c. Si conditiones h. t. n. 14. & seqq. Non tantum Sponfalia, sed ipsum etiam Matrimonium esse nullum, quòd contrahitur sub conditione de praeterito aut praesenti, si conditio non subsit, v. g. Contraham tecum si es legitima, vel si es virgo, vel si non es Leprosa &c. quamvis enim error qualitatis non vitiet Matrimonium per dicta supra, tamen vitiat, & annullat illud, si adiciatur pro modum Conditionis, & haec deficiat.

Nec validatur tale Matrimonium per copulam subsequentem. Fagnanus loc. cit. n. 22. Abbas in c. Per tuas. 6. h. t. n. 4. & ibi Ancharanus; licet enim per copulam carnalem subsecutam videtur Matrimonium sub Conditione de futuro initum c. 5. & 6. h. t. secus tamen est, ubi apponitur Conditio de praeterito, aut praesenti, utpote quae actum non suspendit, iuxta dicta, sed statim validum aut invalidum reddit, per dicta nu. 12. consequenter ab illa per copulam quis recedere praesumi non potest, ut à Conditione de futuro.

Queritur III. Quid operentur Conditiones de futuro contingente possibilis honestae, v. g. Si Pater tuus consentiat, si hoc officium obinebis &c. Sponfalibus, aut Matrimonio, vel aliis Contractibus appositae? Resp. I. Haec Conditiones quemvis contractum suspendunt, ita ut non valeant, nec obliget, donec conditio adimpleatur, aut eveniat. Communis ac certa. Ratio est; quia natura hujus Conditionis est, actum, cui apponitur, suspendere, arg. §. Sub conditione. Instit. de V. O. Et de Sponfalibus in specie expressè habetur c. De illis. 3. h. t. de Matrimonio autem c. Super eo. §. eod.

Resp. II. Sponfalia sub Conditione honesta de futuro contracta evadunt absoluta, & obligant sine novo consensu, quamprimum conditio evenit, ac impletur. Communis ac certa, argumento à sensu contrario, c. un. de Sponfalib. in 6. Ratio est; quia universaliter omnes contractus sub Conditione de futuro celebrati, sine novo consensu perficiuntur, quamprimum conditio purifiatur, arg. l. Haec conditio, 7. de Contrah. Empt. & l. Porior. et. §. 1. ff. Qui potior, in pig. ibi: Cum enim si mel conditio existit, perinde habetur, ac si illo temporis quo stipulatio interpretata est, sine conditione facta esset.

Resp. III. Etiam Matrimonium in praesentia Patris & testium per verba de praesenti sub Conditione de futuro, v. g. Contraham tecum, si Pater meus consentiat, sine novo consensu evadit absolutum, & valet conditione eventiente. Sanchez lib. 5. Disp. 8. n. 5. Abbas in c. De illis. 3. h. t. ad finem. Ancharanus in c. 1. h. t. n. 1. & ibi Joan. Andreas n. 1. Innocentius post principium, Pirhing h. t. n. 23. Fagnanus in c. Super eo. h. t. à n. 2. cum communi Canonista.



rum contra Gutierrez Canon. 99. lib. 1. cap. 12. n. 21. & alios, arg. c. Super eo. 5. h. i. ubi propofita questione, an, qui per verba de presenti sub Conditione de futuro contraxit, teneatur consummare Matrimonium, respondit Papa, quod ante eventum non teneatur consummare; ergo a sensu contrarium post eventum tenetur, consequenter validum evadit Matrimonium.

Nec obstat, quod in cit. c. Super eo, solum dicitur, eum ante eventum conditionis non teneri ad contrahendum; respondetur enim, ibi ly contrahere idem significare ac consummare; ut interrogatio & responso conveniant, arg. L. 1. C. de Divers. Rescript. & c. Qualiter. 24. de Accusat. ibi: ut iuxta formam iudicii sententiæ quoque forma dicitur.

18. Ratio autem Conclusionis est: Tum quia consensus per verba de presenti, sub Conditione de futuro datus, virtualiter perseverat usque ad eventum conditionis, nisi revocetur, arg. c. fin. de Procurat. in 6. ergo si dein conditio adimpletur, consensus absolutus evadit, consequenter ad Matrimonium perficiendum sufficiens adest, arg. cit. l. Posterior. 11. §. 1. ff. Qui potior pignori. Tum quia omnes alii contractus sub conditione de futuro initi, eventient & non revocata conditione, sine novo consensu evadunt absoluti ac perfecti per dicta num. 16. & communem ac certam aliorum: ergo etiam contractus Matrimonii, præsertim cum non appareat ratio, cur hic solus contractus à generali Juris Regula, ac dispositione degeneret.

19. Confirmatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium per Romanos Pontifices approbatis, de quibus vide apud Fagnanum in cit. c. Super eo h. i. an. 4. vi quarum habetur, quod Matrimonium per verba de presenti sub honesta conditione de futuro contractum, etiam post Concilium Tridentinum valeat, nec opus amplius sit, ut in præsentia Parochi & testium fiat, ad evitandas lites & difficultates, quæ ex diversitate opinionum inter Doctores facile oriri possent.

20. Illud etiam notandum, quod sicut de Matrimonii sub Conditione de presenti aut futuro initis diximus, ea absoluta & perfecta fieri, quamprimum adimpletur conditio, etsi adimpletionem adhuc ignorent contrahentes, ita de Matrimonii per verba de presenti sub Conditione de futuro celebratis per Jura num. 12. citata: licet antequam conditionem resciant Matrimonium licite consummare nondum possint, hoc ipso, quod ignorent, an Matrimonium inter ipsos existat.

21. Queritur IV. An etiam liceat Sponsalia & Matrimonium sub Conditione de presenti aut futuro celebrare? Resp. I. Sponsalia sub honesta conditione sive de presenti, sive de præterito, etsi adimpletionem adhuc ignorent contrahentes, ita de Matrimonii per verba de presenti sub Conditione de futuro celebratis per Jura num. 12. citata: licet antequam conditionem resciant Matrimonium licite consummare nondum possint, hoc ipso, quod ignorent, an Matrimonium inter ipsos existat.

22. Resp. II. Quamvis etiam nullibi prohibuitur sit, consequenter concessum censetur Matrimonium sub honesta conditione de presenti, præterito, vel futuro contrahere per dicta num. præced. & toto præsentis h. i. præsertim c. Super eo. 5. Tamen ob plura incommoda consilium non videtur, ut Matrimonium sub Conditione de futuro contrahatur, nisi specialis urgeat ratio, aut necessitas, ut cum aliis bene monet Gobath Tr. 9. n. 138. suadens Parochis,

ne tali Matrimonio assint. Illud etiam omnino advertat Parochi, necesse est, ut, si ob causam gravem Matrimonium sub Conditione contrahatur, illud consummare non permittant, donec certo constet conditionem esse adimpletam, ne contingat, uti in casu, quem refert Fagnanus in c. si conditiones, h. i. quo aliquis cum quâdam contraxit sub conditione, si es legitima, & post multiplicem usum & copulam conjugalem (ut putabat) rescivit, eam non esse legitimam. Ex hoc enim dictum Matrimonium fuit nullum declaratum, non obstante copula carnali; quia, licet per hanc Matrimonium sub conditione de futuro statim evadat validum, tamen secus est de Matrimonio sub conditione de presenti, aut præterito.

23. Queritur V. De Sponsalibus & Matrimonii inter habentes impedimentum, initis sub hac conditione, si Papa vel Episcopus (in casu, quo hic potest) dispensaverit. Ante responsum notandam, gravissimam esse controversiam inter DD. de hac questione, nam Abbas in c. Super eo. 5. h. i. num. 8. & ibi Ancharanus num. 7. Joan. Andreas num. 2. Sylvester 8. Matrimonium. 3. q. 9. Cardinalis de Luca in Annotat. ad Consil. Trident. Discurs. 27. Diana p. 11. tr. 2. Resolut. 70. ubi pluries pro se citat Rotæ decisiones; imò perpetuum Rotæ praxin, & plures alii à Sanchez relati lib. 5. Disp. 5. nu. 5. volunt, tam Sponsalia, quam Matrimonium sub dicta conditione contractum, nulla atque irrita esse, ac proinde licere utrique etiam post obtentam dispensationem Pontificiam resistere, nisi de novo contrahant. Ratio & fundamentum ipsorum præceptum, imò unicum est; quia hæc conditio impossibilis est, consequenter habetur pro non adjecta, juxta dicenda infra §. seq.

24. Quod autem Conditio, si Papa dispensaverit, reputetur inter impossibiles, probare conatur; quia, quæ de Jure fieri nequeunt, censentur impossibilia, etiam si ex dispensatione Papæ, aut Principis fieri queant, prout jam diximus Lib. I. Tit. XL. De his, quæ vi metusque causâ §. 3. n. 46. patetque præter Jura ibidem allegata, ex l. Inter stipulatorem. 83. §. 5. & l. Continuus. 137. §. 6. ff. de V. O. ibi: Ubi omnino conditio jure impleri non potest, vel id facere ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem, proinde ac si ea conditio, quæ naturâ impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet, quod Jus mutari potest, & id, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri; non enim secundum futuri temporis Jus, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio, cum Concordantis. Quibus non obstantibus,

25. Resp. I. Tam Sponsalia de futuro, quam Matrimonium per verba de presenti contractum sub conditione, si Papa dispensaverit, licite sunt, & obtentâ dispensatione valent in casu, quo Papa, aut Episcopus licite potest dispensare, Sanchez lib. 5. Disp. 5. n. 12. & 13. Pirhing h. i. n. 27. Engel h. i. num. 16. Bolco p. 5. Disp. 11. sect. 8. Concl. 6. rem egregie probans, Coninck Disp. 29. dub. 1. Concl. 5. num. 18. Pontius lib. 3. cap. 15. num. 2. Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 16. num. 7. cum communiter aliorum. Prima pars, quod licite fiant, patet; quia conditio, si Papa dispensaverit, honesta est, sub conditione honesta autem licitum est Sponsalia & Matrimonium contrahere, licet consilium

ac tutius sit abstinere à Matrimonii sub conditione contrahendis per dicta n. 22. ergo.

26. Altera pars, de qua est contraversia, videlicet, quod obtentâ dispensatione valeant. Probatur. Tam Sponsalia, quam Matrimonium sub honesta & possibili conditione de futuro, purificatâ conditione, valent juxta dicta num. 15. & seqq. atqui conditio, si Papa aut Episcopus dispensaverit, est honesta ac possibilis, seu non impossibilis: ergo. Minorem, circa quam solum versatur difficultas, probant DD. citati à potiori taliter: quod, licet conditio, si Papa aut Princeps dispensaverit, impossibilis, & consequenter actus sub ea factus, invalidus sit in casu, quo Papa non solet dispensare per Jura num. 24. citata: tamen aliter se habeat res in casu, quo Papa solet dispensare, arg. l. Cum servus. 39. §. fin. ff. de Legat. l. ibi: Quantum commercium eorum nisi jussu Principis non sit; cum distrabi non soleant: ubi verba notant: cum distrabi non soleant.

27. Confirmant variis exemplis ex Jure, quibus constat, actus alios à Jure prohibitos, factos tamen sub hac conditione, si Princeps dispensaverit, valere: sic enim juxta communißimam, & verissimam apud Sanchez loc. cit. n. 12. valet institutio Sponsi sub conditione, si Princeps dispensaverit: sicut etiam licet rei Feudalis venditio à Jure prohibita sit Feudatario; tamen si fit cum conditione, si Dominus directus consenserit, & hic postea consentiat, valet. Item votum Episcopi ingrediendi Religionem sub conditione, si Papa dispensaverit, obtentâ dispensatione valet. Rursus possunt duo exortâ de Beneficio, si pacifici inter se de danda pensione sub conditione, si Papa dispensaverit &c.

28. Verum quamvis præfata probatio bona videatur, melior tamen & clarior videtur sequens brevissima: Papa ex causa justa licite & valide de Jure potest in quibusvis impedimentis toto Jure Ecclesiastico divinis dispensare, proinde omnes fatentur, etiam Adversarii per dicta Lib. I. Tit. II. §. 18. a. num. 458. ergo Conditio, si Papa dispensaverit nec inhonesta, nec impossibilis, sed omnino honesta, & etiam de Jure possibilis est, hoc ipso, quod, ut supponitur, de Jure licite & valide adimpleri valet.

29. Hinc quamvis verissimum sit, quod Adversarii num. 23. citati dicunt, & per Jura ibidem allegata probant, ea, quæ de Jure prohibita sunt pro impossibilibus reputari, etsi Papa aut Princeps in eis possit dispensare, adeoque illa simpliciter, & absque dispensatione, vel absque dispensationis conditione, quæ contractum ad licitum tempus referat, facere semper illicitum sit, & consequenter pro impossibili habeatur, tamen per hoc neutiquam probant, quod ipsa conditio, si Papa dispensaverit, illicita, aut de Jure prohibita, consequenter impossibilis sit. Et declarat exemplum: quia de jure prohibitum est, die Veneris comedere carnes, id de jure etiam pro impossibili habetur, etiam si Papa in hoc dispensare valeat: Hinc illicitum erit sine dispensatione comedere carnes: item illicitum, simul & invalidus erit actus aut contractus Sponsalium v. g. Matrimonii sub hac conditione: contraham tecum, si die Veneris tecum comedis carnes, initus, quia hæc conditio impossibilis & inhonesta est; utpote quæ absque dispensatione licite fieri non potest. Tamen illicita vel impossibilis non erit conditio, nec actus ab ea initus, comedam die Veneris carnes, si Papa dispensaverit.

30. Pariter quamvis de Jure prohibitum, & consequenter impossibile sit, contrahere cum consanguineo in tertio gradu, etsi Papa in hoc dispensare valeat; cum omnis actus aut contractus sub hac conditione utpote impossibili factus, nullus sit, v. g. Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

Dono tibi mille si cum consanguinea tua contrahas Matrimonium, etsi Papa in hoc dispensare valeat: tamen nec Jure prohibitum nec impossibile erit contrahere cum consanguinea sub conditione si Papa dispensaverit; quia hæc conditio honesta & possibilis est, hoc ipso, quod licite & valide adimpleri queat.

Et per hoc patet ad fundamentum Adversariorum; utpote qui decepti videntur in illo, quod confundunt conditionem de Jure prohibitam consequenter impossibilem, etsi Papa in ea dispensare valeat, cum ipsa actuali conditione, si Papa aut Princeps dispensaverit. Unde nec quidquam pro eis probant Jura ab eisdem allegata; utpote quæ præcisè probant, quod conditio, quæ de Jure prohibita est, impossibilis sit, & consequenter actus sub ea conditione facti irriti existant, tan cum minimè probant, nullisque textus allegari potest, quod conditio, si Princeps, aut Papa dispensaverit, impossibilis sit, vel actus alias à Jure prohibitus sub ea tamen conditione, nempe si Papa, aut Princeps dispensaverit, invalidus aut illicitus existat. Quin imò extant exempla & casus, quod actus & contractus alias prohibiti à Jure, si in conditione, si Papa aut Princeps dispensaverit, liciti sint, & purificatâ conditione valeant, ut patet ex dictis n. 27.

31. Limitatur solummodo Conclusio & doctrina hæc tenus altera in casu, in quo saltem licite dispensare non potest Papa, uti v. g. foret, si penitus nulla subesset dispensandi causa; quia, cum etiam Pontifex sine justa causa in Jure communi dispensare licite non valeat per dicta Lib. I. Tit. II. §. 18. utriusque conditio, si Papa dispensaverit, de Jure prohibita, consequenter impossibilis foret in casu, quo licite dispensare nequit. Dicitur autem in hac Limitatione solummodo, quia non placet limitatio, quam faciunt nonnulli in casu, quo non solet dispensare, vel in quo non nisi difficillimè dispensat Papa, quia sive solet sive non, dummodo licite ac valide in aliquo casu dispensare possit, jam erit conditio honesta, & possibilis, si Papa dispensaverit, hoc ipso, quod licite & valide impleri valet.

Ad Decisiones à Diana & aliis allatas, respondeatur, extare plures etiam Decisiones contrarias pro nostra Conclusionis Facientes, quarum plures allegat Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 16. n. 10. ac novissimè Gobath. tr. 10. de Sponsal. n. 165. ubi refert, se compertum habere, in tribus instantibus pronuntiatum esse pro Matrimonio, sub conditione; si Papa dispensaverit, etiam in casu, quo probari non poterat, post obtentam dispensationem fuisse adhibitum novum consensum: consequenter cum Rota nonnunquam ipsa rotetur, & legen non faciat, à Conclusionem nostrâ discedendum non est.

32. Resp. II. Quamvis neuter Sponsorum, qui sub conditione, si Papa dispensaverit, contraxerunt Sponsalia, aut Matrimonium, teneatur procurare dispensationem, teneatur tamen quivis eorum in sensu diviso vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore expectare, donec pars altera, si velit, procuraverit, nisi aliud in contractu conventum fuerit. Prima pars, quod neuter teneatur, docetur à Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 16. nu. 12. Nevero lib. 4. Consil. de Sponsal. Consil. 2. in prima edit. Coninck Disp. 29. dub. 2. n. 35. & aliis contra Sanchez lib. 5. Disp. 5. n. 36. & alios. Ratio est: quia, uti supponitur, nullus le obligavit ad procurandam dispensationem, sed tantum ad contrahendum, si Papa dispensaverit; ergo ad plus obligari non potest; nam Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, c. 85. de Reg. Jur. in 6.

33. Secunda pars, videlicet, quod saltem expectare teneatur, donec pars altera dispensationem



procurat, si velit, docet Gobath. Tr. 10. casu 4. n. 164. patetque inde; quia hoc ipso, quod sub conditione de futuro contractum inierit, expectare proportionato tempore debet, an conditio illa eveniat, necne; aliis penitus inanis esset omnis contractus sub conditione initus, quod est contra Jus tam Canonicum h. t. quam Civile de Demonstr. & condit. ff. & C. cum Concord.

36 Cæterum quamvis velit Sanchez loc. cit. n. 37. utrumque Sponsum teneri ad expensas pro rata; quia, ut ait, est negotium commune; tamen probabilis videtur, illum solum ad omnes expensas teneri, qui nuptias anhelans, dispensationem procurat: Merito enim pars altera dicere potest: Causam tuam, & non meam agis: ego enim præcisè promissi contrahere tecum, si Papa dispenserit, dispensationem autem procurare non promisi, nec eam distendero; si tu eam desideras, tuis expensis eam procura.

37 Dicitur autem notanter in Conclusione, nisi aliter in contractu conventum fuerit: Nam quia Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, c. 85. de Reg. Jur. in 6. juxta Conventionem specialem specialis erit obligatio.

38 Queritur VI. Quid Juris de Sponsalibus, vel Matrimonio contractis sub hac conditione, si te virginem invenero? Resp. I. Si hæc conditio ponitur de licita exploratione virginis, v. g. per inspectionem honestarum Matronarum juxta c. causam. 14. de Probat. aut per inquisitionem de vita & fama puellæ, aut alio licito modo, erit conditio honesta possibilis, consequenter de eadem sicut de cæteris conditionibus honestis possibilibus discurrendum erit. Sanchez lib. 5. Disp. 16. numer. 7. Navarrus cap. 22. nu. 66. Ledelma de Matrim. q. 47. a. 5. dub. 3. Perez Disp. 16. Jeth. 10. nu. 7. & 8 cum communi aliorum. Ratio patet; quia nihil inhonesti in ea invenitur.

39 Resp. II. Si verò præfata conditio intelligitur de exploratione virginis facienda per copulam, aut inspectionem, quam ipse Sponsus peragere vult, vel alium illicitum modum, turpis est, consequenter de ea discurrendum, prout de aliis turpibus conditionibus §. seq. discurreremus. DD. citati, cum communi aliorum. Ratio patet; quia talis conditio invitavit ad peccandum; ergo jam hoc ipso turpis est.

§. I I;

De Conditionibus impossibilibus, ac inhonestis aut turpibus, appositis Matrimonialibus, Sponsalibus, aut aliis Contractibus.

S U M M A R I U M.

40 Si Matrimonio adicitur turpis conditio de futuro substantie Matrimonii non contraria, vel Matrimonium, & conditio habetur pro non adjecta: scilicet si repugnat substantie Matrimonii.

41 Ponitur, & solvitur objectio ex Jure. Et num. usque ad n. 45. Omnes reliqui Contractus sub conditione impossibili, sunt nulli. Ibid. & n. seq.

42 Matrimonium est causa favorabilis, & pro ea in dubio judicandum.

43 Quando Matrimonium sub conditione impossibili ac turpi de futuro nullum est?

44 Turpis conditio de præterito vel præsentem attenditur, & non habetur pro non adjecta.

45 Bene tamen conditio ex natura impossibilis de præterito aut præsentem. Et n. seq.

48 Doctrina practica de quibusdam Matrimonii sub conditione turpi aut impossibili ininis in Specie, usque ad n. 51.

Matrimonia hæreticorum pleraque nulla: & quare? Ibid. Matrimonia quot, & que? Ibid.

51 Omnes Contractus sub conditione impossibili ex natura aut facto initi, sunt nulli.

52 Etiam Sponsalia.

53 Solvitur objectio.

54 Et confirmatur ulterius Conclusio de Sponsalibus. Et n. seq.

56 Matrimonium & ultime voluntates per appositionem Conditionis impossibilis non vitiantur.

57 Turpis conditio de futuro repugnans substantia Matrimonii appositæ Sponsalibus, illa annullat.

58 Secus est, si substantia Matrimonii non repugnat.

59 Solvitur instantia.

60 Turpis conditio de præsentem aut præterito appositæ Sponsalibus, quid faciat?

61 Modus, Causa, & Demonstratio quid? & nu. seq.

Matrimonium, vel Sponsalia sub Causa, aut Demonstratione etiam falsâ, inia valent. Ibid.

62 Quid Juris de Sponsalibus aut Matrimonio sub Modo?

63 Modus etiam substantia Matrimonii repugnans non vitiat illud.

Queritur I. Quid Juris de Matrimonio sub Conditione impossibili ac turpi, si inhonestâ contractio? Resp. I. Si adicitur Matrimonio turpis aut impossibilis conditio de futuro, que repugnat substantie Matrimonii, vitiat, & ipso Jure nullam est Matrimonium: Si verò alie adiciantur Conditiones turpes, aut impossibiles, substantia tamen Matrimonii non repugnans, validum est Matrimonium, & Conditiones pro non adjectis habentur. Communis ac certa, textu claro c. fin. h. t. ibi: Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur; puta, alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditioem: aut si pro quaestu adulterandum te iradas &c. Matrimonialis Contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet alie Conditiones appositæ, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.

Objicies. Consensus contrahentium est substantia Matrimonii per dicta supra arg. l. Nuptias 3. ff. de Reg. Jur. sed in tali Matrimonio deest consensus saltem contrahentis sub conditione impossibili ex natura, utpote qui non voluit se obligare, nisi sub conditione impossibili appositâ; quam quia evenire non posse, bene scivit; censendus est, quod nullatenus se obligare, aut contrahere intendit, arg. §. Si impossibilis, l. Instit. de Inutil. stipul. ibi: Si impossibilis conditio obligationibus adicitur, nihil valet stipulatio, & l. Non solam. 31. ff. de Obligat. & Act. ibi: Non solam stipulationes impossibilis conditione applicatæ nullius momenti sunt, sed etiam cæteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibilis conditione interpositæ, æquè sunt nullius momenti, quia in ea re, que ex duorum plurimumque consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum dubio in hujusmodi actu talis cognitio est, ut nihil agi existimetur, appositâ e conditione, quam sciant esse impossibilem.

In solvenda hæc gravissima instantia, & explicatione cit. c. fin. h. t. multum laborant & variant DD. Optima videtur interpretatio ac responsio eorum, qui dicunt dispositionem dicti c. fin. §. fin. h. t. tantum habere

§. II. De Conditionibus impossibilibus, &c.

habere locum in casu, quod dubium est de intentione & animo contrahentis sub conditione impossibili aut turpi, an tempore ferri talem conditionem adjecerit, nolens alias contrahere, an verò jocose tantum: stante enim tali dubio præsumit Ecclesia ita contrahentem verè & absolute voluisse contrahere, & conditionem jocose tantum adjecisse, hoc ipso, quod sciverit, talem conditionem vel ex natura, vel de Jure impossibilem adimpletu esse.

Ratio hujus interpretationis ac constitutionis cit. c. fin. h. t. est: Tum quia in dubio semper pro valore Matrimonii judicandum est c. fin. de Sentent. & re judic. ad evitanda gravissima scandala, & animarum pericula, que sequerentur ex dissolutione Matrimonii forsan valide contracti, præsertim si dein aliis nubent separati, arg. c. Lioet. 47. in fine, de Test. & Anteq. ubi propterea dicitur: Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. Tum quia Matrimonium est causa favorabilis sicut Testamentum, c. Dir. de. 39. in fine, de Appel. & cit. c. fin. de Sentent. & re judic. ergo sicut ob hanc causam in Testamento conditiones impossibiles habentur pro non adjectis, arg. l. Otinui. & l. Multa ff. de Condit. & Demonstr. ita habendæ erunt in Matrimonio.

Quod si verò ex circumstantiis constaret, aut appareret, Conditionem impossibilem, vel turpem, ferio adjectam fuisse, consequenter sine animo contrahendi, nisi sub illa conditione, que impleri vel de facto, vel de Jure non potest, Matrimonium utique nullum foret, Sanchez lib. 5. Disp. 3. n. 16. Wagnebeck in c. Si conditiones. h. t. Pirhing h. t. n. 18. Engel. eod. n. 12. & 13. quia tunc Ecclesie præsumptio cederet veritati, arg. l. Continuis. 137. §. 2. in fine. ff. de V. O. & ibi Glossa v. Nullus.

Resp. II. Si Matrimonio apponitur inhonestâ, aut turpis conditio de præsentem, vel præterito non habetur pro non adjecta, sed omnino attenditur, ita ut Matrimonium statim valeat, si conditio illa subsistat; irritum autem & nullum fit, si non subsistat. Covarrvias de Matrim. p. 2. cap. 1. §. 2. n. 2. Alexander de Nevo in c. de Illis. 3. h. t. n. 16. & alii, per ea, que supra num. 5. dicta sunt. Accedit, quod turpis conditio de præsentem, aut præterito non invitavit ad peccandum, sicut de futuro, uti loc. cit. bene advertit Covarrvias.

Nec obstat c. fin. h. t. turpes conditiones pro non adjectis reputans, uti patet ex textu supra n. 40. adducto. Nam contra est, quod cit. c. fin. loquitur de Conditionibus propriè dictis, hoc ipso, quod verba Legum & Canonum in propria significatione accipere, & intelligere oportet, arg. c. Inter. 2. de Translat. Epif. & l. Non aliter. 69. ff. de Legat. 3. Conditio autem de præsentem aut præterito, p. optiè conditio non est, l. Injurius. 10. ff. de Condit. & Demonstr. cujus textum vide supra n. 5.

Nam autem Conditio ex natura, aut facto impossibilis de præsentem vel præterito habetur pro adjecta, variant DD. Pontius sicutem lib. 3. c. 4. cum Sylvestro v. Matrimonium. 3. q. 1. in fine affirmant per fundamenta præcedentis Conclusionis; Covarrvias verò loc. cit. Sanchez lib. 5. Disp. 4. n. 3. & alii melius negant, & volunt, talem conditionem semper haberi pro non adjecta, consequenter Matrimonium initum semper esse validum, idque probant ex eo, quod Matrimonium non minus sit favorabile quam Testamentum, c. Dir. de. de App. l. sed in Testamento ob favorem ejusdem etiam talis conditio habetur pro non adjecta arg. l. Maria. 45. ff. de Hered. instit. ergo etiam in Matrimonio.

Nec currit paritas cum Conditione turpi; hæc enim rejicitur à Jure, & habetur pro non adjecta, Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

quia allicit ad peccandum; quæ merito, cum in turpi conditione de præsentem aut præterito non militet, bene dicitur, quod hæc in Jure inter rejeclas non comprehendatur. Conditio autem ex natura impossibilis rejicitur, quæ est omnino impossibilis, quod æquè militat in Conditione de præsentem, aut præterito, ac futuro: æquè enim impossibilis conditio est si dico: Contraham tecum, si calum digito tetigisti; ac si calum digito tangas. Econtra non æquè ad peccatum invitavit, si dico: Contraho tecum, si hunc jam occidisti: ac si dico si hunc occides.

Inferitur I. Pro praxi, Matrimonia sequenti modo contracta esse nulla: Contraham tecum, si generacionem prolis evitabis, v. g. seminandum extra vas, aut procurando sterilitatem, vel abortum. Item contraho tecum ad certos annos, ut hæc vel illâ circumstantiâ eveniente aut non eveniente postum iterum discedere, aut alteri nubere, prout in multis locis faciunt hæretici, utpote qui cum hæc expressæ, eisque prælectâ conditione contrahunt, ut una pars discedere, & alteri pro libitu nubere queat, si compars adulterium committit, vel à secta hæretica ad fidem Catholicam se convertit. Ratio est, quia hæc conditiones omnes repugnant Matrimonii substantiæ, consequenter vitiant aut irritant Matrimonium per dicta n. 40. Prima namque conditio hic allegata est contra bonum prolis. Secunda contra bonum fidei, seu mutæ fidelitatis vel conjugii debite. Tertia est contra bonum Sacramenti, individuum societatem exigens, in quibus tribus substantialia bona Matrimonii consistunt, can. Orne. 10. caus. 27. q. 2.

Inferitur II. Matrimonia sequenti modo contracta illicite esse valida: Contraho tecum, si hunc occidas, aut illud furtum committas, vel si fidelem hæreticam acceptes, vel si calum digito tangas, vel si ex aqua vinum officias &c. Quia sunt conditiones inhonestæ, vel impossibiles substantiæ Matrimonii non repugnans, consequenter pro non adjectis habentur, nisi ex conjecuris constet, ita promittentem non habere animum contrahendi sub hac conditione per dicta supra n. 40. & n. 44.

Inferitur III. Matrimonia sub sequentibus conditionibus contracta dependere quoad valorem ac existentia conditionis: v. g. Contraho tecum, si es heretica, vel si hunc occidisti, vel si illam rem furata es, vel si Reliculis adscripta jam es; quia sunt conditiones turpes de præsentem, vel præterito, que pro adjectis attenduntur per dicta n. 45. Econtra statim validum esse Matrimonium sequens: Contraho tecum, si de facto calum digito tangis, vel si cogitationes cordis mei agnoscis, per dicta n. 45.

Queritur II. Quid Juris de Sponsalibus & aliis Contractibus sub Conditioe impossibili, aut turpi & inhonestâ ininis? Resp. I. Non contractus, consequenter etiam Sponsalia, solo excepto Matrimonio, & ultimis voluntatibus, per appositionem Conditionis ex natura aut facto impossibilis vitiantur, & sunt ipso Jure nulli. Conclusio plures habet partes; quarum primam de contractibus in genere tenent Omnes, textu expresso l. Non solam. ff. de Oblig. & Act. cujus textum vide supra n. 41. ubi etiam ratio additur; quia nempe hoc ipso, quod quis contractui impossibilem conditionem apponat, censetur nullum habere animum contrahendi.

Intellige tamen Conclusionem de Conditioe impossibili affirmativa, v. g. si calum ascenderit: nam si negativa apponitur v. g. Si calum non ascenderit, Contractus purè in jus cenletur, adeoque valet, textu claro l. Impossibilis. 7. de V. O. Ratio est; quia, cum eius contraria sit impossibilis, ejus negativa erit necessaria, vera & præiens, que statim inest, arg. l. In illa. ff. de V. O.



52 *Secunda pars* de Sponſalibus docetur à Salmantibus & Ledefina de *Matrim.* q. 47. a. 5. P. 2. *Disp.* 12. ſect. 3. n. 3. & aliis contra Sanchez lib. 5. *Disp.* 17. n. 2. & communiffimam aliorum, quamvis Sanchez fateatur, noſtram ſententiam ſolidiori niti fundameno. Probat. De Jure *Conditio impoſſibilis* appoſita vitiat omnes contractus per dicta num. *preced.* ergo etiam Sponſalia. Tum quia *Legis verba generalia generaliter ſunt intelligenda, c. Quia circa. de Privileg.* Tum quia *exceptio unius ſeruat regulam in contrarium, arg. c. In iis; que. ff. de Legib.* Solum autem excipitur Matrimonium *c. ſin. h. t.* & ultinæ voluntates, per Jura infra n. 56. citanda; ergo hæc exceptio probat, quòd Sponſalia à Lege communi non ſunt excepta, conſequenter juxta eam vitiantur, & ſunt nulla per *Conditionem impoſſibilem* appoſitam, ſicut cæteri contractus. *cit. l. Non ſolum. ff. de Obligat. & Ad.*

53 Obijcies cum Adverſariis illud tritum, Sponſalia ſunt initium & via ad Matrimonium; ergo quod de hoc in Jure eſt diſpoſitum, cenſetur etiam diſpoſitum de Sponſalibus, *arg. l. Oratio. 16. ff. de Sponſal.* conſequenter, cum *c. ſin. h. t.* de Matrimonio diſponatur, quòd *Conditio impoſſibilis* ei adjecta illud non vitiet, ſed habeatur pro non adjecta, idem dicendum erit de Sponſalibus. Hoc eſt principale, & unicum Adverſarium fundamentum, quòd tamen facile ſolvitur. Reſpondeatur enim, illud commune dictum: *Diſpoſita de Matrimonio cenſentur etiam diſpoſita de Sponſalibus*, locum non habere, quando de Matrimonio diſponitur ex ſpeciali ratione, quæ non militat in Sponſalibus, Gutierrez de *Juram. p. 1. cap. 51. d. n. 9.* & ipſe Sanchez lib. 5. *Disp.* 12. n. 3. cum communi, prout contingit in præſenti, ſiquidem *c. ſin. h. t. Conditiones impoſſibiles* Matrimonio appoſitis pro non adjectis ſtatuit ob ſpeciale favorem Matrimonii, & ad graviffimam incommoda ac pericula animarum vitanda, quæ ex diſſolutione Matrimonii favorem invalidi ſequerentur, juxta dicta n. 42. Qui favor & ratio ſpecialis, cum non inveniantur in Sponſalibus, dictam diſpoſitionem *c. ſin. h. t.* de Matrimonio factam, ad Sponſalia extendere non debemus.

54 Confirmatur à ſimili in Matrimonio *Clandefini*: de quo licet extet diſpoſitio Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de R-form. Matrim. cap. 1.* quòd fit invalidum, tamen juxta commanem & certam etiam Adverſariorum ſententiam, dicta Concilii Tridentini diſpoſitio non extenditur ad Sponſalia, quia videlicet ratio illa ſpecialis, quam Concilium pro Matrimonio habuit, non militat in Matrimonio, per dicta *Tit. I. §. I. n. 22.*

55 Confirmatur ulterius: *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, c. Que. 28. de Reg. Jur. in 6.* atqui diſpoſitio *c. ſin. h. t. Conditiones impoſſibiles* in Matrimonio pro non adjectis habens, à Jure communi exorbitat; cum juxta hoc, quin & naturale Jus Contractus ſub *Conditione impoſſibili* fit nullus, *arg. cit. l. Non ſolum. ff. de Obligat. & Ad.* ergo ulterius extendi non debet.

56 *Tertia tandem pars*, quòd Matrimonium, & ultinæ Voluntates per Conditionem impoſſibilem non vitiantur, ſed hæc habeatur pro non adjecta, caret controverſiâ Et quidem de Matrimonio jam dictum eſt ex *c. ſin. h. t.* De ultimis Voluntatibus autem conſtat ex *Impoſſibilis. Inſtit. de Hered. Inſtit. ibi: Impoſſibilis conditio in Inſtitutionibus, & legatis, nec non in fidei commiſſis, & libertatibus pro non ſcripta habeatur, cum Concordantiis, & jam dictum eſt ſupra.*

57 Reſp. II. Si Sponſalibus adijciatur *turpis* *Conditio* de futuro, repugnans ſubſtantie Matrimonii,

vitiantur & nulla ſunt. Doctor Seraphicus in 4. *diſt.* 28. q. 3. n. 12. D. Thomas *ibid. diſt.* 27. q. 2. a. 1. cum communi aliorum, *arg. c. ſin. h. t.* licet enim de ſolo Matrimonio loquatur, tamen quia ratio diſpoſitionis de his Conditionibus etiam in Sponſalibus urget, ad hæc quoque extendi debet. *arg. l. Oratio. 16. de Sponſal.* Quænam autem ſint Conditiones repugnantes ſubſtantie Matrimonii, vide ſuprà num. 48.

Reſp. III. Si Sponſalibus adijciatur *turpis*, aut *inhoneſta* *Conditio* de futuro ſubſtantie Matrimonii non repugnans, v. g. *Ducam te, ſi mecum fornicaris, vel ſi ſdem Catholicam derelinquis, vel ſi illud furtum facies, vel ſi hunc occidas &c.* non habeatur pro non adjecta, ſed attenditur, ita ut licet ante impletam talem conditionem Sponſalia non obligent, tamen poſtquam impleta eſt talis *Conditio*, Sponſalia valent, & obligant æquè ac ſi *honeſta* *Conditio* de futuro adjecta ac impleta eſſet. Pontius lib. 2. de *Matrim.* q. 10. ſect. 5. Palao de *Sponſal. Disp.* 1. *pun.* 16. n. 4. Ledefina de *Matrim.* q. 47. n. 5. ad *finem*, Perez de *Matrim. Disp.* 12. ſect. 3. n. 4. ubi citat communem contra Sanchez lib. 5. *Disp.* 17. num. 2. qui pro ſe citat concordem omnium. Ratio eſt; quia reliqui Contractus ſub *turpi* *Conditione* de futuro adimpleta conditione, ut diximus, valent & obligant, ut fatentur omnes, *arg. l. 11. §. I. ff. Qui potiores pignor.* ergo etiam Sponſalia, ut pote ſpecialiter non excepta.

Non obſtat *c. ſin. h. t.* ubi *Conditiones* Matrimonii oppoſitæ vitiant pro non adjectis. Reſpondeatur enim illam ſpecielem de Matrimonio factam diſpoſitionem Juri non extendi ad Sponſalia, per dicta ſuprà n. 53. & ſeqq.

Reſp. IV. Si Sponſalibus adijciatur *turpis* *Conditio* de præſenti aut præterito, eundem effectum habet, quem in Matrimonio, juxta dicta ſuprà n. 45. ob eadem rationis & Juri fundamenta.

Quæritur III. Quid Juri de Sponſalibus & Matrimonio ſub *Modo*? ſub *Cauſa*? & cum *Demonſtratione*? Agunt DD. plerumque hic etiam de his, quia conditionibus valde affines ſunt. Quid autem ſit *Modus, Cauſa, & Demonſtratio*, & quo modo contractus vel actus aliquis fieri poſſit ſub *Modo*, vel ſub *Cauſa*, vel cum *Demonſtratione* habes Lib. III. Tit. XXVI. an. 656. ubi vide, ne ſuperflua fiat repetitio. Hoc præſuppoſito, Reſp. I. Sponſalia, & Matrimonium, alique Contractus celebrati ſub *Cauſa*, vel cum *Demonſtratione*, ſive poſſibili ſive impoſſibili, ſive turpi, ſive honeſta, ſive ſubſtantie Matrimonii contrariâ ſive non, nec ſuſpendunt, nec vitiant Contractum, eſti contingat error, niſi hic vertetur circa perſonam, v. g. ſi quis ita dicit: *Contraho, vel contraham tecum, quia es dives, vel quia es nobilis, vel quia es virgo, vel quia es virtuoſa, vel quia es omnipotens, vel quia es hæretica, vel quia generationem proliſ evitabis, vel quia mecum fornicata es &c.* (quæ ſunt meræ cauſæ) vel, *quia es talis, virgo, dives &c.* (quæ eſt *Demonſtratio*) valent Sponſalia, & Matrimonium, eſti talis dives, aut virgo, aut nobilis &c. non eſſet. Sanchez lib. 5. *Disp.* 19. n. 2. Palao de *Sponſal. Disp.* 2. *pun.* 11. §. 5. n. 2. Pirhing h. t. n. 29. Engel h. t. n. 20. cum communi aliorum. Ratio eſt; quia *Cauſa & Demonſtrationes* etiam falſæ non obſunt contractui, nec vitiant illum, ſed habeantur pro non adjectis, *arg. l. Falſa. 33. & l. Cum ſole. 72. §. 6. de Condition. & Demoſt.* juncto *§. Longè. 31. Inſtit. de Legat.*

Nec reſert, eſti quis non contraxiſſet, ſi errorem ſciiviſſet; quia error circa qualitatem non vitiat Sponſalia aut Matrimonium per dicta *Tit. I. §. 345.* bene tamen circa perſonam, juxta dicta *ibid. arg. l. Quoties.*

*Quoties. 9. ff. de Hered. Inſtit.* ubi ratio additur illis verbis: *Quoniam voluntate deſicitur.*

63 Reſp. II. *Modus* ſive poſſibilis, ſive impoſſibilis, ſive turpis, ſive honeſtus Sponſalia aut Matrimonium, alioſque Contractus nec ſuſpendit, nec vitiat, ſed, ſi *Modus* turpis aut impoſſibilis eſt, habeatur pro non adjecto: ſi vero poſſibilis & honeſtus eſt, parit obligationem exequendi id, quod per *Modum* oneris fut. adjectum: v. g. ſi quis dicit: *Contraho, vel Contraham tecum, ut digito calum tangas, vel ut me adjuves ad illum occidentem, aut illum furandum &c.* valet Matrimonium, aut Sponſalia, & *conditio* habeatur pro non adjecta, nec parit ullam obligationem illam adimplendi: ſi quis verò ita dicat: *Contraho, vel Contraham tecum, ita tamen, ut illos pupilloſ educes, tantam dotem offeras, mecum ad illum locum pergas &c.* valet quidem ſtatim actus, ita tamen, ut alter obligatus maneat ad *Modum*, ſeu onus adjectum exequendum, Sanchez lib. 5. *Disp.* 19. Pirhing h. t. n. 32. Sylveſter *ſy. Matrimonium.* 7. q. 12. cum communi aliorum dicentium, quod hi modi non ſuſpendunt contractum. Ratio eſt; quia in actu ſub *Modo* conſenſus non præſtatur à *Modo*, ſicut fit in *Conditione*, ſed illum præcedit, in quo diſſert à *Conditione*. Nam natura *Modi* eſt, ut non ſuſpendat actum. *l. Cùm ab eo. 41. ff. de Contrah. Empt.*

Quòd autem *Modus* turpis aut impoſſibilis non vitiet actum, ſed habeatur pro non adjecto, patet tum ex dictis ſuprà de hujusmodi *Conditionibus*, tum ex dicendis infra *num. ſeq.* & amplius docet Molina de *J. & J. Diſp.* 208. n. 11. quòd verò *Modus* honeſtus ſui obligationem pariat, clarè patet ex *l. 1. c. de Donat. ſub modo.*

64 Reſp. II. Non vitiantur, ſed valent Sponſalia, & Matrimonium etiam ſub *Modo* ſubſtantie Matrimonii contrario contracta, Palao de *Sponſal. Disp.* 2. *pun.* 11. §. 5. n. 3. Ledefina *cit. q. 47. a. 5. dub. 3.* Perez *Disp.* 16. ſect. 15. n. 14. contra Sanchez *loc. cit. num. 5.* Pirhing *loc. cit. n. 30.* Ratio eſt; quia univerſaliter loquendo, nullus *Modus* ſuſpendit actum, nec conſenſus dependenter à *Modo* præſtatur, ſed jam perfectum ſuſponit, eique advenit *cit. l. Cùm ab eo. ff. de Contrah. Empt.* at ſi valide jam eſt contractus, per talem non amplius vitari poteſt: ergo.

Nec obijcias cum Sanchez *loc. cit. c. ſin. h. t.* ubi expreſſè habeatur, quòd *Conditiones* ſubſtantie Matrimonii contrariæ vitient illud. Reſp. enim, quòd, cum illud *c. ſin. h. t.* expreſſè loquatur de ſolis *Conditionibus*, ad *Modos* extendi non queat, ne *Modus & Conditio* confundantur.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere poſſunt.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Continuationis.
- 2 Ordines Sacri dirimunt Matrimonium contrahendum.
- 3 Non item Ordines Minores.
- 4 Etiam Graeci in Majoribus conſtituti non poſſunt Matrimonium contrahere, bene tamen illo antea contraçto uti poſſunt.
- 5 Pueri ante uſum rationis ordinati, poſſunt poſtea nubere.
- 6 Quod aliqui etiam de Ordinatis ante pubertatem volunt.

- 7 Contrarium tamen probabilius eſt.
- 8 V. Ordinati non tenentur ad continentiam, ſed poſſunt nubere.
- 9 Sicut etiam gravi metu incuſſo Ordinati.
- 10 Conſirmatur.
- 11 Solvitur inſtantia. Et num. ſeq.
- Coacta voluntas eſt voluntas: quando veriſicatur? *Ibid.*
- 13 Infantes vel vi, aut metu ordinati, ſi poſſeã ratiè vel expreſſè votum ratiſicant, tenentur ad caſtitaem, ſi ſciant votum priùs fuiſſe nullum. Ratiſicatio actùs nullius non fit, ſi ignoratur, actum fuiſſe nullum. *Ibid.*
- 14 Ordines Sacri Matrimonium priùs contractum non dirimunt.
- 15 Contraendum dirimunt ſolo Jure Eccleſiaſtico. Et duobus num. ſeq.
- 16 Papa diſpenſare poteſt, ut exiſtentes in Majoribus etiam Sacerdotes & Epifcopi nubant.
- 17 Voti ſolemnitatis à ſola Eccleſia provenit.
- 18 Clerici beneficiati ſive in Majoribus, ſive in Minoribus conſtituti, ſi nubunt, ipſo facto privantur Beneficio.
- 19 In Majoribus conſtituti inſuper incurruni excommunicationem, & irregularitatem.
- 20 Conjugati, vel Deſponſati quoad nubere poſſunt. *Remiſſive.*
- 21 Omne & ſolum votum ſolemne dirimit Matrimonium.
- 22 Sunt tantùm duo vota ſolemnia: illud nempe quòd Ordini eſt annexum, & Profeſſio Religioſa.
- 23 Profeſſio Religioſa non tantùm contrahendum, ſed etiam jam contractum nondum conſummatum Matrimonium dirimit.
- 24 Votum ſimplex caſtitaem, intrandi Religionem, aut ſuſcipiendi Ordines non dirimit, ſed tantùm impedit Matrimonium.
- 25 Stante voto caſtitaem nubens non poteſt petere debitum, bene tamen reddere.
- 26 De Votis ſimplicibus emiſſis poſt Sponſalia. *Remiſſive.*

Abſoluta materiâ de Sponſalibus & Matrimonio purè & conditionatè intus, explicatè nonnullis impedimentis præſertim publicè ſtatutis, ac *clandefinitatis*, pergit Complutor ad reliqua Impedimenta Matrimonii-examinanda, & quidem in præſenti Titulo de duobus diſtinguitur agit, Ordine nempe Sacro, & Voto caſtitaem ſolemni, ac impediènte, Voto nempe ſimplici.

Quæritur I. An! quando? reſpectu quorum? & a quo modo Matrimonium dirimat Ordo? Reſp. I. Quòd Ordines Sacri ſunt impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum, & conſequenter, quòd Clerici in Ordinibus Sacris conſtituti Matrimonium nec licitè nec validè contrahere poſſunt, certum eſt ac de fide. Omnes. Patetque ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Sacramento Matrimonii. cap. 9. ibi: Si quis dixerat, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitaem ſolemni-ter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contr. Clun. quòd validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. Anathema ſit.* Concordant can. *Preſbyteris. 8. diſt. 27. ibi: Preſbyteris, Diaconis, & Subdiaconis &c. item can. Preſbyterum 16. diſt. 28. cap. 1. de Clericis conjug. c. 1. & 2. h. t. & alibi paſſim.* Rationem ſanctiſſimarum harum Eccleſiæ Legum Clericos reddentium inhabiles, vide Lib. III. Tit. III. de Clericis conjug. a. n. 3.

Dicitur autem notanter in Concluſione *Ordines Sacri*; quia Ordines Minores nec impediunt, nec dirimunt Matrimonium, uti jam diximus Lib. III. Tit. III. n. 1. quanvis Clerici in Minoribus conſtituti Bene-